

concedit Camillo. *Huius rei*,] Buthrotiæ. *Consulatus sui*,] erat enim consul designatus. *In eo negotio*] in re Buthrotia. ep. 19. lib. 14. *Nostros*,] Brutum, & Cassium. *Satisfeci*,] probavi mihi non licere, quod rogaret. ep. 19. lib. 14. *Labo- rare*] de ea re, quam rogabat. *Istam vero*,] opinor, Publiliæ matrem. epist. 19. l. 14. *Quid est hoc?*] quo de nunc agitur. quid est, cur simulem, & quasi cum persona ambulanti? tum laudavi, quia debui: at hoc, quod nunc agitur, cuiusmodi est? *Quod Brutus rogat*,] quod Brutum scribis rogare, ut ante Ka- lendas Iunias eum conveniam; ad me quoque scripsit. *An- te Kalendas*] hoc est, ante quam in urbem redeam. nam ad eam diem Cicero affuturus erat: (ep. 14. & 17. lib. 14.) Brutus au- tem redire ipse in urbem non audebat metu veteranorum. fa- mil. ep. 2. lib. 11. *Sua immortalitati*] cum tyrannum inter- fecit. *Nostro otio*] quia, rege interfecto, liberi tamen non su- mus. epist. 5. 11. & 12. *De regina*] Cleopatra. epist. 8. lib. 14. *De Flamma*] De Flaminio Flamma, obsecro te, si quid potes, age: id est, ne Montanus pro eo dependat. ep. 50. lib. 12. & 16. l. 14. *Panem valentem*] nam ægrotaverat. ep. 19. l. 1. *Clam- sis*] mallem, Clarius: ut certius Attico significet de valetu- dine Piliæ, quam non domi subobscurè, sed in publico clare vi- derit. *Ut eam ne ambitiose corrigerem*] ne in corrigendo gra- tiam aucuparer: ne, gratiam eius captans, parce corrigerem. Eodem verbo, & in eadem sententia, Brutus usus est, cum ad Atticum scriberet, Ciceronem accusans. Quædam, inquit, mi- hi videtur, quid dicam? imperite vir omnium prudentissimus, an ambitiose fecisse, qui valentissimum Antonium suscipere pro Rep. non dubitarit inimicum? Ambitiose, pro indulgen- ter, ad inquirendam Octavii gratiam, dixit. Et epist. 2. l. 1. ad Q. fratrem: Ne forte me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere. *ὐπόθεσιν vides qua sit*] vides, quod sit argumen- tum, quæ dicentis persona. argumentum est, de tyranno in- terfecto, patria liberata: loquitur Brutus, qui tam præclari fa- cinoris auctor fuit. ardentius igitur scribi debuit oratio. *A- lius sum*,] aliud sequor genus orationis. Et sane Ciceronis & Bruti non idem erat iudiciū de oratore perfecto. ep. 20. l. 14. *ὕπερ ἄλλοις*] admodum Atticus: hoc est: vereor, ne, quia cog- nomen tibi est Attico, valde propensus sis ad ea probanda, quæ sunt Attice scripta. nam Brutus eam rationem scribendi in ora- tione

tionem